



VII. Cum dubitari non possit, quin, quos uetus Graecia Latiumque reliquit, scriptores fere omnes antiquae, quam tantopere admiramur, uenustatis sint ueluti promi condì, intelligitur, quantum Germania, qua ingenii amoenioris cultu perpolitur, debeat iis, qui, exemplo Gallorum, praestantissimos quosque uel poetas, uel oratores, uel historicos ex omni antiquitate, Germanice conuersos accurate interpretati sunt. Ita enim factum, ut ii, qui ad studia duriores uidebantur, paullatim elegantiae sensum ex ueterum scriptorum lectione, quam reddiderat faciliorem uersio, referrent. Neque uero omnes, quibus saeculum nostrum laborat, interpretationes veterum Germanicas laudauerim, putidas saepe illas et insulas, at eas tamen, quae eruditissimorum virorum ingenio parique iudicio et accuratione consecratae sunt, non negauerim, plurimum posse et solere adferre utilitatis ad gustum elegan- tiae nitidioremque eorum cultum, qui, quamuis non sint eruditi, haberi tamen nolunt inficeti, sine sapore, sine sensu, sine omni humanitatis uenustate. Magna cum uolup- tate, maiorique cum fructu, legunt ciues, qui non inelegantes putantur, Thucydidem, interprete HEILMAN- NO, (l) germanice redditum, Herodoti et Xenophontis historias, a GOLDHAGENIO (m) patro explicatas sermo- ne, Plutarchum KINDII, M. Aurelium Antoninum HOF- MANNI, Sallustium ABBTII, (n) Tacitum MULLERI, (o) et GOLDHAGENII, Horatianas odas illustris Comitis de SOLMS, Virgilium OVERBECKII, (p) tot Poetas grae- cos, Homerum, Pindarum, Sophoclem, alios, ab erudi- tissimis,